IN JONAM

EXERCITATIO ACADEMICA

QUAM AUSPICE, ET DUCE S. THOMA AQUINATE

PUBLICE EXHIBET

F. EMMANUEL DE PAULO

In Neapolitano Ord. Prædic. ejusdem S. Thomæ Collegio
Græcarum, & Hebraicarum litterarum Auditor

F. PETRO MASDEA

ADSIDENTE.

NEAPOLI MDCCLXXV.

TYPIS RAPHAELIS LANCIANI

AUCTORITATE PUBLICA.

Digitized by Google

הו׳ע יב

ודברתי על חנביאים ואנכי חזון
והרביתי וביד הנביאים אדמה׃

Oseæ XII.

Et locutus ſum cum Prophetis , & ego viſionem multiplicavi , & in manu Prophetarum propoſui ſimilitudines .

LXX.

Καὶ λαλήσω πρὸς προφήτας , καὶ ἐγὼ ὁράσεις ἐπλήθυνα, καὶ ἐν χερσὶ προφητῶν ὡμοιώθην. ΩΣΗΕ ΙΒ.

ΜΑΤΘ ΙΒ.

Γενεὰ πονηρὰ, καὶ μοιχαλὶς σημεῖον ἐπιζητεῖ καὶ σημεῖον οὐ δοθήσεται αὐτῇ , εἰ μὴ τὸ σημεῖον Ἰωνᾶ τοῦ προφήτου .

Ὥσπερ γὰρ ἦν Ἰωνᾶς ἐν τῇ κοιλίᾳ τοῦ κήτους τρεῖς ἡμέρας, καὶ τρεῖς νύκτας, οὕτως ἔσαι ὁ υἱὸς τοῦ ανθρώπου ἐν τῇ καρδίᾳ τῆς γῆς τρεῖς ἡμέρας , καὶ τρεῖς νύκτας .

Mat. XII. 39. 40.

Generatio prava , & adultera ſignum quærit , & ſignum non dabitur ei , niſi ſignum Jonæ Prophetæ .

Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus , & tribus noctibus , ſic erit Filius hominis in corde Terræ tribus diebus , & tribus noctibus .

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO.

MIrum pariter, atque indignum, VIRI CLARISSIMI, videri debet, hominem hujus Univerſitatis nobiliſſimam partem, qui ſua præclara ingenii, & cogitandi vi, quammaxime ad Dei ſimilitudinem accedit, in tam multos, tamque fœdos elapſis retro ſeculis errores incidiſſe, ut neque religio ulla veri Dei, neque humanitatis ratio ab eo teneri viſa ſit. Nam ſi oculos ad veterum monumentorum ſcriptores tantiſper admoverimus, tot ejus rei deprehendemus argumenta, quot vetuſtatis nobis monumenta ſuperſunt; in queis nimirum cernemus, homines aliquando in tantam veniſſe ignorationem ſui, atque in eam deductos eſſe mentis cæcitatem, ut relicto Parente, & Conſtitutore omnium Deo, pro Numinibus coluerint, non illuſtria modo Cœli ſidera, aliaſque nobiliores Mundi partes, verum etiam ſordidiſſima animalia, ſtirpeſque viliſſimas: non homines ſolum virtute præditos, quive aliquibus commodis inventis humanum genus juverint, ſed & eos, qui nefandis ſceleribus inquinati, Orbem cædibus ſordibuſque repleverint: præterea eoſdem tam barbaros, tamque immanes fuiſſe reperiemus, ut impuris Numinibus nonmodo bruta animantia, mancipia, liberos homines, hoſtiteſque mactaverint; ſed, quod horribilius eſt, teneras quoque atque innocentes animas (quæ ma-

xime eſt ætas parentibus dulcior) ſine ullo reſpectu paternæ pietatis immolarint, immanitatemque omnium beſtiarum, quæ tamen fœtus ſuos amant, feritate ſuperarint. Quod eo magis fœdum atque infandum videtur, quod in tam nefarios, & putidos errores non modo imperiti, ac de trivio homines impegerint; verum etiam cultiores gentes, & ii, qui omnium ſapientiſſimi habebantur. Quamvis enim nonnulli iſtorum præclara de moribus, ac ratione vivendi præcepta tradiderint; ii tamen, præterquam quod pauci admodum fuere, nec multitudinem ab inveteratis erroribus avertere valuerunt; neque ab erroribus ipſi craſſiſſimis immunes extiterunt. Ex hoc etiam tam fœdo, tamque late patenti humani generis vulnere, cum hujus temporis falſi nominis Sapientes ſaltem conjectura aſſequi debuiſſent, ut rei veritas habet, collapſam olim commaculatamque fuiſſe univerſam hominum propaginem, atque adeo aliquam eſſe perverſam Poteſtatem, cui unicum, ac perpetuum ſit opus, offundere tenebras, & hominum cæcare mentes ne lucem videant; indeque demum homines divina revelatione, ope, atque favore maxime indiguiſſe; hi nihilominus humanam rationem effuſis laudibus in Cœlum tollunt, eximiamque ejus nobis puritatem ſplendoremque, crepantibus, ut ajunt, buccis, prædicant. Quod ſi ita ſe gererent, ut vel importunis ſcepticorum, vel rationem plus juſto deprimentium, conatibus, obviam irent, eſſent ſane æquo animo ferendi. Nunc vero cum eo conſilio hominis rationem efferant, ut cælitus delapſa doctrina, & oracula ſupervacanea fore putentur; primum, reclamante univerſa temporum hiſtoria, & intimo hominum ſenſu, ſtultiſſime faciunt: deinde certiſſimis, & perſpicuis Divinæ vocis cha-

charaćteribus temere , & impiiſſime contradicunt; dumque erroribus bellum indixiſſe videri volunt , in omnium turpiſſimos , atque abſurdiſſimos errores prolabuntur . Quibus certe erroribus nullam excuſationem obtendere miſerrimi poſſunt. Hujusmodi namque hominum pervicacium Æternus rerum Procurator petulantiam levitatemque cum longe ante vidiſſet , ſapientiſſimo conſilio eos libros , quibus ſuæ vocis oracula commiſit , omnibus τῆς γνησιότητος , veritatis , Divinitatisque ornavit , atque inſtruxit charaćteribus . Cum enim æque commode potuiſſet religionem libris non tanto argumentorum apparatu inſtructis , conſervare , vel etiam ſine libris manu exaratis , ſola traditione de ore in os a parentibus in liberos tranſmittere , ut reipſa multis antea ſeculis fecerat ; placuit ei codices omnium gentium monumentis nobis vetuſtiores parare , illoſque , adverſus temporum edacitatem , hominum injurias, rerum vices , Regnorum converſiones , perſequentium furorem , & (ſi unum, & item alterum excipias) omnes ea qua primitus lingua ſunt conſcripti , ſingulari prorſus in tanta mundanarum rerum viciſſitudine providentia , ad noſtram uſque ætatem integros atque incolumes cuſtodire . Quæ ſane providentia eo mirabilior cenſeri debet , quod cum priſtinis noſtriſque temporibus in eorum manus devenerint , qui mutuis odiis , & ſimultatibus certarent ; editis etiam in variarum gentium linguas verſionibus , quæ indole , ingenio , & inſtitutis diverſis utebantur ; tantum abeſt , ut labem ullam contraxerint , ut inde potius validiſſimum præſidium ad eorum ſinceritatem probandam , & apud alios fidem conciliandam habeamus : cum nullo pacto ſit vero ſimile homines ſic affećtis tam concorditer in unum , ni ipſa veritate adaćti fuiſſent ;

 con-

convenire, aut factionum inviſarum fraudem, ſi qua fortaſſis ex adverſa parte fuiſſet, diſſimulare, neque crimini dare potuiſſe. Quæ ratio apertiſſime demonſtrat, eos libros eſſe genuinos, hoc eſt, ab illis editos auctoribus, a quibus editi eſſe dicuntur, & eo circiter tempore, quo ſcripti eſſe feruntur. Nam cum is liber genuinus ſit cenſendus, qui genuinus habitus eſt ab omnibus proxime, & continuata ſerie ſequentibus eum ætatibus; hi libri hujuſmodi ſunt, ut non modo in una gente (quod ut genuini haberentur ſatis eſſet) ſed in diverſiſſimis, & diſſitis tempore, ætate, loco, moribus, populis, genuini habiti ſint, & ab iis etiam, qui hoſtes erant, vel plane ab eorum inſtitutis alieni. Et quidni tales eſſe, aut exiſtimari debuiſſent? Non enim erant hominum inventa, non ipſorum auctor homo aliquis extiterat, qui fallere, & falli poteſt, ſed Deus ipſe falli neſcius; quare clariſſima præſeferunt τῆς Θεοπνευστίας, *ſuæque divinitatis argumenta. Innumera nempe, longiſſimo poſt tempore completa, rerum futurarum vaticinia, quæ utpote contingentes, & liberæ, nullamve cum naturalibus cauſis connexionem habentes, nulla naturæ ope, nulla humana vi, ſed ſola divina ratione prænoſci, & præſentiri poterant; quorum nunnulla adeo perſpicua ſunt, & evidentia, tamque narrationibus hiſtoricis ſimilia, ut nonnemo Chriſtianæ Religionis hoſtis acerrimus poſt ipſorum eventum literis mandata arbitratus ſit. Quid? miracula, quæ vel ipſi librorum Scriptores, vel ii qui eoſdem, ut divinos, & cælitus afflatos excipiebant, edidere, parvane ſunt ad ipſorum divinitatem oſtendendam? Miracula, inquam, totius naturæ vim excedentia, a viris fide digniſſimis memoriæ prodita, non in angulo, aut in abdito patrata, ſed in con-*

ſpectu

ſpectu immenſæ multitudinis ; nam alioquin ſi miracula defuiſſent , qui tandem fieri potuiſſet ut innumerabiles homines omnis generis , & ætatis , non vulgares modo , & imperiti , ſed nobiles etiam , & acuti , ea , quæ his libris continentur , vera eſſe crederent , & horum cauſſa , non ſolum humanam gloriam , remque familiarem , ſed etiam vitam amittendam exiſtimarent ? ni miraculis , & prodigiis perſuaſi , qui vidiſſent ea eſſe credenda ? Profecto niſi omnino plumbei & ſtupidi illi homines fuiſſent , (quod de uno aut altero vix quidem cogitari , de tot tantiſque nullo pacto poterit) adverſus tot minas , terrores , calamitates , ignominias , exilia , carceres , bonorum direptiones , cædes , ac præſentiſſimum vitæ diſcrimen , numquam , niſi multis magniſque prodigiis adducti , libris illis , quaſi divinis , fidem adhibere voluiſſent ; præſertim cum ipſi tamdiu alienis inſtitutis , pravæque atque inveteratæ addicti fuiſſent olim conſuetudini ; & hi libri non terrenam felicitatem , non hujus vitæ illecebras & bona promitterent , ſed univerſis hominis cupiditatibus bellum indicerent , & ea traderent quæ humanam rationem longe ſuperarent , & præterea per homines rudes , & impolitos proponerentur , qui non erant humanis , & liberalibus inſtructi diſciplinis . Sed hæc viri ſcilicet a præjudiciis alieni inficiantur , quia ſuo ipſorum tempore non viderint . Sed primum nec fieri poſſet , ut omnia , quæ ante nos acciderint , propriis oculis cerneremus ſi quis autem id neceſſe putaret ; innumera omnino periclitarentur , quæ ſunt in humanis rebus , & in ipſa hominum hiſtoria certiſſima . Deinde nec etiam ætate noſtra Eccleſiæ ſuæ bono (cujus ratio potiſſime ex libris illis hauritur , & conſtat) Deus

Deus efficere miracula deſiit ; & ſunt certe plura , quæ nulla poſſunt aut cavillatione eludi , aut tergiverſatione celari . Denique æquum non fuit (*verbis doctiſſimi viri* (1), *quamvis a noſtra communione alieni , præ quo ſaperdæ iſti infantes eſſe videntur , libentiſſime utor*) non æquum , *inquam* , fuit leges univerſo datas de rerum curſu naturali , & futurorum incertitudine , temere , aut ſemper excedi : ſed tum demum , cum digna incidiſſet cauſa : ut quo tempore veri Dei cultus toto prope Orbe ejectus in uno Mundi angulo , ideſt in Judæa reſidebat , & adverſus circumfuſam impietatem novis ſubinde præſidiis muniendus erat , aut cum Chriſtiana Religio ex Dei decreto per totum Orbem primum ſpargi debuit . *Sed fac miracula defuiſſe : hoc ipſum , ut acutiſſime ratiocinatur S. Aug.* (2) , *argumento certiſſimo eſt , divinam quamdam in his rebus , efficacioremque virtutem adfuiſſe : nam hoc ipſum maximum miraculum , & prodigium extitiſſet , homines ſine miraculis , talia , & tanta credidiſſe . Age vero , ſi miracula deeſſent univerſa , ipſa doctrinæ puritas , omni humana inventione ſublimior , innatis naturæ , & rationis principiis admodum conſentanea , ſcriptorum ſinceritas , candor , ſimplicitas , probitas ; vel ipſo ſtilo ſe prodentes , nonne librorum eorundem divinitatem , veritatemque confirmant ? Siquidem illorum elocutio non exquiſita , aut affectata , non in verborum delectu , & in apta eorum collocatione poſita , ſed potius rudis , & impolita , rerum contra ma-*

(1) *Grotius de verit. Relig. Chriſ. lib.* 1. §. 18.
(2) *De Civitate Dei lib.* 21. *& alibi* .

magnitudo, nonne oſtendit eos inſtrumenta quædam, & organa impolita fuiſſe a quadam ſuperiori mente mota, & adhibita, itaut ſermonis ſimplicitas reſpondeat inſtrumento, doctrinæ autem ſublimitas ſuperiori menti adſcribi debeat? Sed quorſum, inquies, hæc oratio tam longe repetita? nempe, ut ex hoc firmiſſimo demonſtrationis genere, quod nos in tranſcurſu, & leviter attigimus alii data opera, & copioſiſſime tractarunt intelligatur, frivolas atque inanes eſſe argutiolas illas, quibus aliqua divinis libris (præſertim apud Prophetam Jonam) tradita, quæ aut ipſorum palato non ſapiunt, aut comprehendere ſua brevi mente non valent, aut non percipere poſſe ſimulant, partim abſurda, & prava, partim falſa minuſve poſſibilia quaſi ex tripode pronunciant. Quid? Vellent ſapientes iſti normam præſcribere Supremo Numini, & quidquid eorum menti rectum, verum, honeſtumque videtur, id etiam Deum facere, & loqui cuperent, & contra? At ſi vere ſapientes eſſent, agnoſcerent, quod eſt veriſſime a ſapientiſſimis, & cordatis viris, imo & certiſſimis experimentis, intimoque ſenſu cognitum: non eſſe nimirum a ſtatis demonſtrationibus recedendum propter inſurgentes, quæ ſolvi poſſe non videntur, difficultates. *Quid ſi ea, quæ objiciunt, facillimo negotio dilui poſſunt; ut jamdiu ab eruditiſſimis Scriptoribus expenſa & diſſoluta ſunt? Nam, quod ajunt, Deum in veteri præſertim teſtamento partium ſtudioſum fuiſſe, ſacri Prophetæ Jonæ libello, quem præ manibus habemus, abunde refutatur. Ipſius enim ad Ninivitas miſſio planiſſime demonſtrat, Omnipotentem Dominum, etſi peculiaribus quibuſdam ceremoniis, ſacramentis, & inſtitutis eum ſibi præcipuum populum dicaverat,*

rat, ex quo ſecundum carnem erat proditurus, ceteris tamen gentibus etiam conſuluiſſe; & quas ad naturæ præcepta compoſitas cupiebat, ſi eam normam aliquando tranſilirent, pœnis etiam, & timore ad officium redire cogebat. Ea in re, pro anniverſarii inſtituti noſtri ratione, immemorari lubet, quantum patitur temporis anguſtia, affectaque corporis habitudo. Quare ad ipſum Jonæ librum explicandum aggrediamur.

Digitized by Google

CAPUT I. v. 1.

ויהי דבר יהוה אל יונה בן אמתי
Et fuit Verbum Domini ad Jonam filium Amithai.

EX ipſa ſtatim prima hujus commatis particula cùm hujuſce ætatis incredulis controverſia oritur. Cum enim a particula connexiva, (quæ in Græco, Latino, aliiſque nobis cognitis idiomatis ſuperiora cum inferioribus copulare conſuevit) ſacer hic liber exordium ducat, magnum ex re tam parva, homines ſcilicet naris emunctiſſimæ, ſe perveſtigaſſe rati ſunt, ad ſacrorum codicum labefactandam auctoritatem; quaſi non integri, quales a ſuis primum auctoribus prodiere, ſed mutili, atque ex grandiori alio volumine decerpti, ad nos devenerint. Quod eo ſecurius conficere poſſe ſibi perſuadent, quod libri quoque *Ruth*, *Regum*, *Eſther*, & *Ezechielis* paribus inchoantur initiis. Qua in re neſcio quid magis, imperitiamne, an levitatem admirari debeamus. Si enim doctiſſimorum Patrum *Auguſtini*, *Theophilacti*, aliorumque ipſis horrori erat explanatio, qua vel prolationem veritatis in voce cum mentis viſione connecti aſſerunt, vel ad occaſionem propheticæ miſſionis (famam nempe Ninivitarum pravitatis, aut pervicaciam Iſraelitarum) rationem haberi, quod in libris ſupra humanum morem divinitus conſcriptis æquis animis ſuſcipi par eſſet; habebant certe quod ſuo ipſorum ingenio, & palato non foret ingratum: linguæ nempe primitivæ genium, indolem, & Syntaxim a noſtrarum linguarum proprietate valde recedentem. Noviſſent certe, cum hebraicum idioma pauciſſimas conjunctiones habeat; & ו multarum conjunctionum munere polleat, ut videre eſt apud *Noldium*, poſſe alio atque alio modo in noſtram linguam traſferri, ut e. g. hac ratione, *cum fuiſſet verbum &c. ſurrexit Jonas &c.*; conſtat enim ו non ſemel per *cum* reddi poſſe, ut oſtendit Andreas Mylius *in Syntaxi cap.* 10.; ut & in ſua verſione reddidit *Tremellius*. Noviſſent ex Grammaticis univerſis ו illud verbis adjectum eſſe *converſi-*

 vum:

Digitized by Google

vum: ac præſertim noſſe Spinoſa debuiſſet, quippe e Judæis oriundus, Rabbinorum doctrinam, qua ו in fronte librorum ex indole hebrææ linguæ ornatus gratia collocari ſolere aſſerunt, illudque vocant ו תחלת הדברים .i. *Vau principii verborum*; de quo vid. *Buxt. Theſ. l.* 2. *c.* 21., & *David Kimchius in L. Rad.*. Quare ridiculus ſane eſt Spinoſa, qui *tract. Theol. Poli. c.* 10. pro re nihili divinorum voluminum auctoritatem elevare conatus eſt. Nam quo ad id, quod idem Theologico—Politicus diſputator objicit ad hoc ipſum ſuadendum, de vaticinio Jonæ 4. *Reg.* memorato, nunc autem non extante, profecto eſt contemnendus. Quæ enim præter libellum hunc edidit Jonas vaticinia, non videntur ab eo litteris fuiſſe mandata; ea quippe dumtaxat ſcriptis tradidere Prophetæ, quæ in longitudinem pertinebant, ne ex hominum animis memoria ipſorum evaneſceret: quæ autem proxime ſpectabant ad exitum, in libros referri non fuit æque neceſſarium, utpote quorum futura eſſet recens recordatio tum, cum eventu ipſo complerentur. Hujuſmodi fuit illud, quod de Jeroboamo prænuntiatum a Jona vaticinium libri *Reg.* teſtantur: nam cum æquævi fuerint Jeroboamus & Jonas, veriſimile eſt in re inſtanti ac imminenti prædictionem hanc a Jona editam fuiſſe. Deinde etiam ſi Spinoſæ, aliiſque ejuſdem furfuris viris prophetiam hanc majoris operis partem fuiſſe concederem, non video quid illi inde ex auctoritate decederet; quin contra hinc conjicere liceret, nobiliſſimam viſam, ac utiliſſimam particulam hanc, quam adverſus edacem vetuſtatem, ſtudium hominum, vel potius Supremi Numinis voluntas conſervaret, cum ob alia, tum ne eximio hoc Chriſti per triduum mortui, ac deinde reſurgentis ſimulacro careremus:

V. 2. לך אל נינוה העיר הגדולה.

Vade in Ninivem Civitatem grandem.

Niniven Propheta jubetur pergere. Hæc eſt illa Ninive a pleriſque profanorum ſub *Nini* nomine appellata. De ejus conditore, & ſitu nonnihil hic dicemus; de ejus Civi-

Civitatis amplitudine, poſtmodum locuturi. De Ninives conditore nec ſacræ ipſæ litteræ cum Ethnicorum hiſtoria componi poſſe, quo ad ſpeciem ſaltem, videntur; nec ſacri ipſi Interpretes ſibi invicem conſtant. Scriptura enim Gen. 10. 11. diſertis verbis aſſerit, *de terra illa egreſſus eſt Aſſur, qui ædificavit Ninivem*. Et quidem plerique ante Bocharti ætatem Aſſurem Semi filium Ninives conditorem putavere, qui eo loci per προληψιν ſit nominatus. At poſt ejuſdem doctiſſimi viri diligentiam, qui animadvertit, ibidem ſermonem continuari de Nemrodo, de quo verſiculo proxime ſuperiori injecta fuerat mentio; omnes pene Eruditi in ejuſdem opinionem conceſſere. Eſt ergo ſenſus: *Chus genuit Nemrod. ipſe cœpit eſſe potens in terra . . . . fuit autem principium regni ejus Babylon, in terra Sennar. De terra illa egreſſus eſt Aſſur* (hoc eſt Aſſyriam), *& ædificavit Ninivem*. *Aſſur* enim hic locale nomen eſſe, .i. *Aſſyriam* deſignare vero propius eſt, & ſeriei ſermonis valde congruum; cum omnia, quæ hic dicuntur, de Nemrodo intelligi par ſit. Nec obeſt quod in hebraico fonte ה locale non apponatur: ſolet enim interdum ea loci nota omitti; ut in hoc Jonæ libello, quem præ manibus habemus, cum mentio fiat de fuga Jonæ in Tharſis cap. 1. 3. *reperit navem euntem* תַּרְשִׁישׁ abſque nota ה. Prophani autem Scriptores NINO BELI Filio Ninives ædificationem attribuunt, & ſi quidem Beli, & Nini tempora procul a poſtdiluvianis temporibus removenda eſſent (quod *Uſſerio*, aliiſque viſum eſt) profanam hiſtoriam hac in parte, quod a ſacra diſſideat, falſam jure reputaremus. At quia *Petavio*, harum rerum peritiſſimo, aliiſque bene multis aliter viſum fuit; nihil eſt, cur gentium Scriptores hic falſitatis arguamus. *Nemrodus* igitur *Moyſis* eſt *Belus*, qui fortaſſe Urbi abs ſe conditæ nomen impoſuit a filio ſuo *Nino*, qui poſtea a Parente conditam Urbem adeo vehementer ampliavit, atque ornavit, ut inde anſam profani Scriptores arripuerint, Ninum Ninives conditorem affirmandi: ſicut & eadem de cauſa *Semiramis* ab iiſdem Babylonem condidiſſe traditur, quamvis certo conſtet longe ante eamdem extructam fuiſſe.

 Circa

Circa ſitum Urbis, etſi diſſidium, & incoſtantia apud Hiſtoricos, & Geopraphos reperiri videatur, ut inde motus fuerit *Samuel Bochart.* ad duplicem Ninivem inducendam, quo auctorum de ea re pugnantia teſtimonia conciliaret: tamen extra controverſiam debet eſſe, veterem illam Niniven, de qua in præſenti ſermo eſt, ad ripam Tigridis conditam fuiſſe: id enim diſerte *Herod. Plin. Strabo*, *Ptolom.* aliique graves auctores prodidere. Quod ſi *Diodorus*, iidemque Scriptores contrarium alibi docere viſi ſunt, id de alia recentiori Ninive, a priori derivata, ut jure ſentit *Cellarius* l. 3. c. 17. eſt intelligendum. Antiqua namque *Ninus* jam antequam *Cirus* Imperii Perſarum jeciſſet fundamenta, nedum *Luciani*, hoc eſt, *Hadriani* temporibus, funditus everſa erat. At poſterior *Ninus* Ptolemæi temporibus, extabat: ea autem in re Alexandrinum Geographum minime erraſſe, ut immerito *Salmaſius* contendit, argumento eſſe poterit *Taciti* (lib. 12. cap. 12), & *Ammiani* (lib. 13. cap. 20.) teſtimonium, qui ambo eam Urbem ſuo ævo extitiſſe perhibent Qui vero hodiernam *Moſulem* eandem arbitrantur cum veteri Ninive fuiſſe, falluntur. Recentior enim Itinerator apud *Morerium* teſtatur: *Moſulem* ad Occidentalem oram Tigridis conditam, ac pro inde in Meſopotamia potius, quam in Aſſyria extructam eſſe; quod de veteri Ninive non poteſt affirmari. Hinc Sulaka ille, qui an. 1553. a Neſtorianis Romam miſſus eſt, inquit: *Moſul ſita eſt ad ripam fluminis Tigris, a qua ex altera parte ripæ abeſt Ninive bismille paſſibus.*

v. 3. ויקם יונה לברח תרשישה מלפני יהוה

Et ſurrexit Jonas ad fugiendum in Tharſis de facie Domini.

Hic primum animadvertere oportet, Jonæ fugam non ex errore ortam eſſe, quo putarit, Deum extra terram Iſraelis non adeſſe: apage enim tam craſſam opinionem a viro hebræo, qui patriis inſtitutis imbutus inferius aperte fatetur, ſe *Dominum Deum Cæli colere qui fecit Mare, & aridam*; quem illuſtrem Davidici Pſalmi particulam probe noviſſe par eſt exiſtimare: *Quo ibo a ſpiritu tuo, & quo a facie*

Digitized by Google

cie tua fugiam? ſi aſcendero in Cœlum, tu illic es &c. Quare minus accurate hunc locum *Joſephum* in l. Ant. exhibuiſſe cenſeo, dum ait de Jona: ἀποδιδράσκει τὸν Θεόν, *fugit Deum*: non enim *Deum fugiſſe* Vatem ſcriptura tradit, ſed fugiſſe *a facie*, ſeu *conſpectu Domini*, ſeu ut verbum verbo reddamus, *de ad facies Domini*, ſive *a coram Domino*: id eſt enim מלפני. Cui hebrææ phraſi a noſtræ linguæ proprietate abhorrenti lux affunditur ex alia huic adverſa, atque in ſacris ipſis literis obvia, qualis illa Eliæ: *Vivit Dominus, in cujus conſpectu ſto*; item illa ex l. Eſther, *unus ex Eunuchis, quos Rex ſtare fecerat coram illa*, ideſt quos ei miniſtros attribuerat. Ergo *ſtare coram Domino* miniſterium ſignificat Dominicum; quod qui obire detrectat, is *fugere dicitur e conſpectu Domini*. Huc refer, *quis ſtabit in monte ſancto tuo?* pro, *quis miniſtrabit?* ac ſi diceret, quis dignus eſt, ut Sacerdotio fungatur tibi in templo? Fugit igitur Jonas ne obiret munus prophetandi ſibi a Deo injunctum; ſive, ut *Par. Jonat.* reddidit, *ne prophetaret in nomine Domini*. Exiſtimavit enim Jonas (quamvis de generali Dei in omnibus locis præſentia certus eſſet) extra Hebræorum terram Divinum afflatum, & propheticum inſtinctum ſeſe in homines exerere non ſolere, & veluti ad vaticinandum impellere. Ea de re igitur fugam arripit propheta; fore interim ſperans, ut in tanta hoc muneris obeundi difficultate, Deus, fugam ſeſe capiente, a ſententia recederet, & alium ob id forte miſſurus eſſet. Hoc modo multo melius S. Scripturæ ſententiam ſervari cenſemus, quam levi ad τὸν מלפני & מפני׳א differentiam perfugio, quam comminiſcuntur *Kimchius*, & *Tarnovius*: conſtat enim, animadvertente *Andrea Mylio*, duas illas voces in Sacro Codice ſecum invicem permutari, ac commiſceri.

Quare autem fugerit propheta, multæ cauſæ ab interpretibus afferuntur. Quidam dicunt maxime illi moleſtum fuiſſe redarguere potentiſſimum Aſſyriorum Regem, illique, univerſæque genti excidium comminari; alii vero ex Patribus ideo Jonam fugiſſe aſſerunt, quod præſcierat Sancto ſibi Spiritu ſuggerente, pœnitentiam gentium ruinam fore Judæorum: præterea animadvertens collegas ſuos mitti ad hebræum populum

lum a peccatis revocandum, dolet ſe ſolum electum, qui mitteretur ad Aſsyrios inimicos Israel, ubi idololatria atque Dei veri ignoratio vigebat; ac denique timebat, ne per occaſionem prædicationis ſuæ illis converſis ad pœnitentiam, Israel penitus relinqueretur. *Noverat enim eodem ſpiritu, quo illi gentium præconium credebatur, quod quando nationes credidiſſent, tunc periret domus Israel; & quod aliquando futurum erat, hoc ne in ſuo fieret tempore, verebatur* (1). Sed quamvis has aliaſque rationes menti prophetæ obverſari potuiſſe non negaverim; tamen vel unica, vel potiſſima ea eſt exiſtimanda, quæ ab ipsomet propheta inferius c. 4. v. 2. perſpicuis verbis affertur: *propter hoc præoccupavi, ut fugerem: ſcio enim quia tu Deus clemens, & miſericors es, patiens, & multæ miſerationis, & ignoſcens ſuper malitia*. Ob id ergo fugere conatus eſt Jonas, ne, Deo miſericordia & clementia in Ninivitas reſipiſcentes pro ſuo more uſuro, ipſe ludibrio gentibus eſſet, & mendax propheta haberetur. In qua quidem fuga Jonam, ceu rebellem & contumacem graviter peccaſse, contendimus; ac propterea abſurde & immerito feciſſe *Tertullianum* (2), qui Jonæ fugam, cum fuga Chriſtianorum tempore perſecutionis comparare non veretur, cum longe diſpar ſit utrobique ratio. Jonas enim manifeſtæ Dei juſſioni extitit refractarius; at Chriſtiani perſecutione affecti fugam capeſſentes, tantum abeſt, ut Dei præceptum frangant ullum, ut potius Chriſti videantur verbis morem gerere, ajentis: *cum perſequentur vos in Civitate iſta, fugite in aliam*. Sed Catholicorum rem ſtrenue libellis editis proſecuti ſunt omnium maxime *Clemens*, & *Dionyſius* Alexandrini.

Quinam vero locus *Tharſis* nomine intelligatur, ad quem Jonas contendere deſtinaverat, valde ſacri Interpretes a se invicem diſſident. Diſſidii ratio eſt, quod ipſum *Tharſis* nomen non una ſimplicique ratione in ſcripturis accipitur, ſed multipliciter & diverſe: nec poſſunt non in abſurdas opiniones labi, qui unicum omnino *Tharſis* in Scripturis

(1) *S. Hieron. in hunc locum*.
(2) *Lib. de fuga in Perſec.*

ris ſtatuere conati ſunt. Eſt enim primo indubie *Tharſis* nomine ea Regio deſignanda, quam *Tharſis Javanis* filius primus occupavit, illique, quemadmodum ceteri γεναρχαι *Gen.* 10. memorati, nomen dedit: Non tam enim ea nomina propria ſunt perſonarum, quam Regionum a Noe poſteris primitus occupatarum: quod eſt univerſis pene viris doctis obſervatum. Deinde ab hac priori, *Ciliciæ* nempe, altera *Tharſis* ſecernenda eſt, de qua in libris *Regum*, & *Paralip.* ſermo eſt: ad quam nimirum ſolventes ex littore Maris rubri nautæ poſt triennium redibant, aurum reſque alias pretioſas Salomoni afferentes. Tertio *Tarteſſum* Hiſpaniæ, cum levis tantum intercedat mutatio ש in ת ex varia dialecti indole orta; imo apud *Polybium* (1) in fœdere Carthaginienſium eodem pene modo memoretur, *Tharſis* nomine notari, poſt eruditos præſertim *Sam. Bocharti* labores, negare quis poterit? Quarto cum LXX. ſemel, & iterum hebr. תרש ש καρχηδονα *Carthaginem* tranſtulerint, idque ipſos (quicumque tandem hi fuerint) ex communi ſaltem & pervulgata fama, ſive ex majorum traditione accepiſſe admodum veroſimile ſit; hanc aliam Tharſim admittemus, ut doctiſſimus Pater *Theodoretus*, aliique nonnulli admiſerunt. Denique cum vulgatæ auctoritas, Sanctuſque Hieron. in Commentariis non ſemel pro Tharſis *Mare* generatim accipiant, par eſt hanc תרשיש ים quoque notionem & poteſtatem fateri. Nam & *Chaldæa Paraphr.* cum alibi, tum hic ימא, ideſt *Mare* vertit; & ipſa vox Tharſis, adnotante CL. *Mazzoc.* (2) ſive eam navibus, ſive locis tribuas, *marinum* quid apud Orientales notaſſe videtur. Si enim ab eo vocabulo primam litteram removeas, quæ juxta *Calaſium* ſervilis eſt, quod remanet, Arabice notiones habet non diſſonas nauticis: ſicuti & eadem reaſſumpta ſervili, Arabicum תרשאש eſt aſperſio: indeque factum credimus, ut nonnulla alia loca maritima, quia madentia Maris aſpergine, *Tharſis* ab Orientalibus vocarentur.

Ea

(1) *Polyb. l.* 3. *dicitur enim*: Θαρσειον
(2) *Sylv. Phaleg. P.* 1. *S. v.*

Ea propter cum variæ ſint τῆ *Tharſis* in Sacris Bibliis notiones; ſacri Auctores de Jonæ fuga agentes in varia abeunt opinamenta. Quidam cum *Joſepho* l. 9. Antiq. intelligunt de *Tharſo Ciliciæ*, nonnulli de Carthagine, alii de Tarteſſo, quidam de *Tharſi* Salomonica. *S. Hier.* vero hoc loco, hebræorum auctoritate motus, (qui *Tharſis* nomen *Mare* deſignare generaliter autumant), non certum quemdam locum, quo Propheta ire pergebat, ſed Mare generatim accipit.

Nos, ut in tanta auctorum pugna, quod magis vero propius videtur, exponamus, ſtatuimus primo, ceu indubium, *Tharſim*, in quam Jonas proficiſci cupiebat, non eſſe Salomonicam *Tharſim* in Oceano Orientali poſitam, ſive ea ſit *Tharſiana* Ptolemæi in Caramania ad ſinum Perſicum, ut vult *Mazz.*, ſive *Tapobrana*, ut volunt alii. Ad hanc enim Tharſim ex *Aſiongaber* in ora Maris rubri ſolvebatur: at Jonas deſcendit in *Joppen*: Joppe autem, quæ nunc vulgo dicitur *Jafa* in ora Maris interni ſita eſt; de qua ait *Strabo l.* 16. ἐπινείῳ τούτῳ κέχρηνται καταβάντες μέχρι θαλάσσης οἱ Ἰουδαῖοι.

Deinde illud etiam tanquam certum ſtatuimus, *Tharſis* hic pro Mari generatim ſumi non debere: nam & ה locale in hebræo appoſitum certum locum deſignare ſolet, & nautæ profecto merces ſuas in fixum & determinatum locum allaturi erant. Nec certe *S. Hier.*, quem maximi facimus noſtræ huic ſententiæ adverſatur: non enim negat nautas ad certum quemdam locum contendiſſe, ſed Jonam primo impetu cum de fuga cogitaſſet, ad Maris littus proceſſiſſe, ut navim, quocumque ea tendebat, conſcenderet: loquitur videlicet non de nautis, verum de Jona, prima & ſubita fugæ cogitatione occupato, qui ad littus progreſſus, navi conducta, eo certe profecturus eſſet, quo nautæ ire parabant. En S. Doct. verba: *Non igitur Propheta ad certum fugere cupiebat locum, ſed mare ingrediens, quocumque pergere feſtinabat, & magis hoc convenit fugitivo, & timido, non locum fugæ otioſe eligere, ſed primam occaſionem arripere navigandi.*

Cum igitur, & de *Orientali Tharſi*, & de *Mari* generatim opi-

opinio a nobis fuerit exploſa; tres aliæ opiniones excutiendæ ſuperſunt, an *Carthago*, an vero *Tarteſſus*, an demum *Tharſus* Ciliciæ hoc loco intelligatur; ad quarum unamquamque ſi Jonas profectus eſſet, non ea conſequerentur, quæ ſuperiores opiniones circumveniunt, incommoda; nam & Jonæ ætate cum *Carthago*, tum *Tarteſſus* extabant; certus item navigationis terminus habetur, ad quem etiam ex ora Maris Phænicii ſolvi poterat. Sed ſi locus cum loco, *Carthago* nempe cum *Tarteſſo* conferatur, tantæ ſunt pro hac altera *Bocharti* rationes, ut impellant in eam maxime nos propendere ſententiam, quæ Jonam *Tarteſſum* potius, quam *Carthaginem* petiſſe aſſerit. At ſi demum Tarteſſum Hiſpaniæ cum Tharſo Ciliciæ comparabimus, huic præ illa, multis de cauſſis, primas deferre debemus. Par enim eſt primo exiſtimare, dum Scriptura teſtatur, Jonam, ſeu Phœnices nautas *Tharſim* navigaſſe, eam urbem præcipue deſignari, quæ erat ſub eo nomine maxime cognita, & omnium fama celeberrima. Hanc autem *Tharſim* Ciliciæ potiſſimum fuiſſe, facile quivis agnoſcet, qui & nomen jam inde a Tharſis *Noachi* nepote conſecutum, animadvertet perpetuo poſtea, & conſtanter illam ſibi conſervaſſe; nam & Turcæ eam hodie *Therſis* nuncupant: Cæſarum item & primis Eccleſiæ temporibus nihil illo nomine celebrius: *Holophernes* quoque, qui non longe ab Jonæ ætate aberat, *cum pertranſiſſet fines Aſſyriorum, venit ad magnos montes Auge, qui ſunt a ſiniſtro Ciliciæ . . . . prædavitque omnes filios Tharſis*. (Judith 2.) Deinde non nomine modo, verum & re ipſa multo erat celebrior; quippe quæ, ut veriſſime conjicit vir *Cl. Mazzochius* (1), univerſis aliis urbibus eo nomine appellatis, coloniis miſſis, dederat nomina: & certe *Solinus Polyhis. c.* 51. affirmat: *Cilicia matrem urbium habet Tharſum*. Quam celebritatem ſi ex ejus præcipue ortam antiquitate perpendemus, non leve ei argumento pondus accedet. Nam ſi Sacram Scrip. conſulamus, tam eſſe antiquam *Tharſim*, de qua loquimur, comperiemus, quam antiqua ſunt prima illa poſt diluvium tem-

B pora.

(1) *Loco citato.*

pora. Si autem Profanos Scriptores inſpexeris, aperte colliges, inter Ethnicorum antiquiſſima monumenta vetuſtius nihil fuiſſe, quam hujus Urbis, & Provinciæ conditores. Sic & *Solinus* ſup. laudatus *Tharſum* a Perſeo Danai filio conditam aſſerit. *Strabo l.* 14. Tharſi conditæ honorem Argivis defert, qui cum Triptolemo perquiſiverunt *Jo*. Ciliciæ etiam nomen a *Cilice* quodam Phœnicis filio, deſumptum eſt, qui ex primis terrarum incolis, atque etiam antiquior Jove apud Profanos fuiſſe fertur: quæ quamvis vera non exiſtimem, antiquiſſimam tamen gentis originem produnt, quæ tantum valuit ad Urbis, & Provinciæ amplificandam claritatem. His adde, percommodam, atque tutiſſimam e Phœnicio littore ad Tharſum Ciliciæ fuiſſe navigationem: maritimam quoque eandem Urbem fuiſſe; quamvis enim ſex paſſuum millibus a mare abeſſet; ope tamen Cydni fluminis, quod Urbem illum interfluit, facili negotio naves poterant adverſo flumine Tharſum pervenire. Quibus omnibus, ſi coronidis loco *Joſephi l.* 9. *Ant.* accedat auctoritas, diſerte aſſerentis, Jonam Tharſum Ciliciæ fugere conatum, rem, ut ego quidem arbitror, plane conficiet. Non enim hoc loco *Joſephus* velut unus vir habendus erit, qui mentem ſuam hac de re exponat, ſed ut integræ hebræorum gentis traditionis cuſtos eſt cenſendus: quam profecto traditionem non modicam habere ad faciendam fidem virium in rebus antea geſtis, nemo ignorat (1).

v. 4. ויהוה הטיל רוח גדולה אל הים

Et Dominus miſit ventum magnum in mare.

Oſtendit hic locus tempeſtates, & ventos a Deo excitari, ipſiuſque juſſibus obſequentes eſſe: quam phraſim non modo Sacræ litteræ frequenter uſurpant, ſed etiam profani auctores interdum, qui naturæ, & creatarum cauſarum actiones

(1) *In rebus praeſertim obſcuris, & cum res per ſe veriſimiles certis non poſſunt rationibus infirmari: nam alioqui ejuſdem Joſepbi opinionem de Jona ad litus Euxini ejecto contrariis his rationibus repudiamus.*

nes ipſi Deo ἀμίσως tribuere videntur. Id vero quod poſterius vulgatus habet: *navis periclitabatur conteri*, in heb. ad literam ſic habetur: *navis cogitabat frangi*; ſed in eandem ſententiam vulgati id recidit: καταχρηστικῶς enim quod hominum proprium eſt, tribuitur navi, ut *Luc.*8. 23. de Diſcipulis dicitur *complebantur, & periclitabantur*, ideſt navis complebatur &c. Idem ſenſus habebitur, ſi cum aliis magnis viris per *metonymiam* vertas hoc pacto: adeo ut qui in navi erant, *cogitarent* ipſam *fractum iri*. Rabbini nonnulli putant Jonæ tantum navim procellis ſæviſſimis agitatam, reliquas autem incolumes tranquillo mari, tranſiiſſe. Quam opinionem, ex eorum videlicet, qui fabulis & chimæris paſcuntur, cerebro profectam, plane contemnerem, niſi eam viderem *Theodoreto* doctiſſimo viro eſſe probatam: *neque enim*, inquit hoc loco, *ſi communis fuiſſet tempeſtas, ejus cauſam forte diſquirere aggreſſi fuiſſent*. Sed ſatius eſt, & commodius cum *S.Hier.* aliam jactus ſortium cauſam affirmare: *noverant*, ait, *naturam maris, & tanto tempore navigantes, ſciebant tempeſtatum ventorumque rationes, & utique ſi ſolitos, & quos aliquando experti fuerunt, fluctus vidiſſent conſurgere, numquam forte auctorem naufragii quærerent*.

v. 5. ויראו המלחים ויזעקו איש אל־אלהיו

Et timuerunt nautae, & clamaverunt unuſquiſque ad Deum ſuum.

Quia τὸ המלחים ἀπὸ τῦ מלח, ideſt *ſale* derivatur, R. Japheth putat fuiſſe nautas vehentes ſal. Sed hoc non eſt neceſſe; nautæ enim eo nomine cenſentur, & denominantur a ſalſa maris aqua, quaſi *marinos* dicas. Sicut & *ſalis* nomine apud Virg. mare ſignatur illis in locis: *ſpumas ſalis aere ruebant*, & rurſus: *campos ſalis aere ſecabant*: & apud Græcos eadem vox ἅλς ſolo genere diſcreta nunc mare, nunc ſal ſignificat. Pro איש heb. .i. *vir*, lxx. ἕκαστος, .i. *quiſque* diſtributive reddunt; & quidem recte: ut enim adnotant *Grammatici*, ſingulari numero cum verbum plurale additur, (ut hic accidit) diſtributio deſignatur. Injuria autem

Andreas Mylius ſugillat vulgatum interpretem, qui reddidit, *viri*: ſumi enim ea hebræa vocula interdum ſolet collective, aut etiam per Enallagen numeri, ut *Jud.* 14. 19. *percuſſit ex eis triginta* איש *virum*, .i. *viros*. Dum autem ſubditur ad *Deum ſuum*, aperte perſpicimus, non omnes qui in navi erant, ejuſdem religionis, ac ne ejuſdem quidem gentis fuiſſe. In Syria ſcilicet multæ gentes erant: quarum unaquaeque, ut fuſe enarravit *Seldenus*, ſuum quaſi peculiarem Deum habebat: Ammonitæ v. g. *Moloch*, Sidonii *Aſtartem*, Gazaei *Marnam*, Moabitae *Chamos*, Joppenſes *Derceto*, & aliæ alios; qui cum velut patroni eorum, ac Domini haberentur, a cultoribus communi nomine BAALIM, hoc eſt *Domini*, Phœnicio vocabulo dicebantur.

Sed illud etiam animadvertere libet contra hujuſce temporis Atheos, quod *S. Hier.* de nautis adnotat: *ignorantes veritatem, non ignorant providentiam, & ſub errore religionis ſciunt aliquid eſſe venerandum*. Sed ajunt id ex conſuetudine ipſorum animis inhæſiſſe. Sed ſi hæc conſuetudo eſt a natura profecta, ipſique conformis; ſi hoc quod nautæ Phœnicii faciunt, etiam omnes alias gentes feciſſe comperimus; ſi, ut inquit *Tullius*, nulla tam barbara & effera gens eſt, quae Deos non colat; ſi peregrinantium relationes de ignotis quibuſdam populis contrarium exhibentes, ſubleſtae fidei eſſe experti ſumus, propterea quod ex levi, & extima ſolum barbararum gentium inſpectione prodierint; ſi de Laponiae populis, aliiſque, ex ſincerioribus auctoribus, omnia eorum narrationibus adverſantia nuper relata vidimus; fatendum omnino eſt, id quod tam communiter, & generatim fit, vocem, & inſtinctum eſſe naturae, non conſuetudinis, univerſitatis hominum, non certarum gentium aliquarum, vel ſi conſuetudinem appellare mavis, tam generalem eſſe, quam ipſam naturam. Sed *Baylus*, acutus videlicet homo, hac univerſali voce non tangitur, imo lynceis oculis id in noſtra ratione cernit, quod funditus noſtram ſententiam ſe judice convellere poſſit. Ait enim, ſi ex eo univerſali gentium conſenſu aliquid certi inferri conveniret, non magis ex eo Supremi Numinis exiſtentiam, quam pluralitatem Numinum deduci oporteret.

teret. Sed quaenam quaeſo eſt haec argutandi ratio? negamus ergo ſolem eſſe, quoniam diverſae oppoſitaeque hominum exiſtunt de Sole ſententiae: negabimus etiam Mundum exiſtere, omniaque, quae in Mundo verſantur, quoniam de his eorumque naturis, & affectionibus diverſae ſunt Philoſophorum diſcrepanteſque ſententiae. Quid quod *Baylus* nec etiam reperire potetit, gentes omnium temporum, & locorum in numero certo, & fixo ullarum Deitatum falſarum conveniſſe? Quid denique, quod ſapientiores ſaltem ex his qui plura Numina coluerunt, unicum ſupremum agnoviſſe, certis ex monumentis elicitur? ſed de his accurate, & fuſe doctiſſimi homines, tum noſtrates, tum Heterodoxi diſputarunt, qui *Bayli* ratiocinandi modum oſtenderunt, quam ſit abſonus, & rectis logicae regulis difformis.

V. 7. ויאמרו איש אל רעהו לכו ונפילה גורלות ונדעה
בשלמי הרעה הזאת לנו

Et dixerunt unuſquiſque ad ſocium ſuum: venite & jaciamus ſortes, & ſciamus propter quem malum hoc nobis.

Poſt quam nautae preces ad Deum fudiſſent, nec tamen interea procellae fluctus, typhoneſque ceſſarent, ſorte exquirere tempeſtatum cauſas perrexerunt, non ignorantes, quantum videre eſt, peccatores ſua manere ſupplicia. Quo loco notandum, quod quamvis ſortes jacere divinatorias ad arcana & occulta detegenda ſpeciali juſſu, vel inſpiratione Dei, culpa vacet; ut innoxie interdum Sanctos viros ex Sacris literis feciſſe novinus; alias tamen eſt prorſus illicitum, & jure tam humano, quam naturali prohibitum, tum propter commercium cum Dæmone in ſortibus includi ſolitum, tum quod injuſtum plane ſit vitam, reſque hominis pretioſiſſimas tam dubiis & incertis eventibus committere. Quamobrem ſuperſtitioſas & nefarias nautarum ſortes aſſerimus; nec huic ſententiae obeſt, quod Deus hic illas approbaſſe videatur, non enim probavit; ſed Deus, qui e malis bona elicere ſolet, qui *temperat ſortes in ſinum miſſas*, ſic ſortes temperavit, ut Jonas reus deprehenſus ſit. Sic Deum ſortibus & divinationibus

bus ſubinde interveniſſe conſtat ex omine Philiſtaeorum 1. *Reg.* 6. 9. & ex Pythoniſſa Saulis 28. 15. ejuſdem libri. Recte S. Hier. *Nec ſtatim debemus ſub hoc exemplo ſortibus credere. Sicut enim in condemnationem Baalam Aſina loquitur, & Pharao, & Nabuchodonoſor in judicium ſui, ſomniis futura cognoſcunt, & tamen non intelligunt revelantem; Caiphas quoque prophetat ignorans: ita & hic fugitivus ſorte deprehenditur, non viribus ſortium, & maxime ſortibus Ethnicorum, ſed voluntate ejus, qui ſortes regebat incertas.* Superſtitioſa igitur, ſed gentibus, praeſertim Orientalibus, uſitata conſuetudine ſortiuntur, ut ex multis auctoribus conſtat; quod etiam noviſſime S. Fran. Xaverius in navibus, quae eum in Japoniam vehebant hoc idem ſaepius a nautis factum eſſe teſtatur, apud *Druſium hoc loco.*

v. 13. ויחתרו האנשים להשיב אל היבשה ולא יכלו
Et remigabant viri ad reducendum ad aridam, & non valebant.

חתר proprie eſt *fodere*, ſed eleganti metaphora, etiam latinis poëtis uſurpata idem valet, quod *remigare*. Sic Ovid. 1. de ponto. *Nos fragili ligno vaſtum ſulcavimus aequor.* In Syriaca item Marci 6. 48. verſione רדין habetur, i. *remigantes*, eadem figura: Nam רדה *arare* eſt. Eſt etiam *fodere* magno conatu aliquid agere, cui ſenſui etiam Graeca ſuffragatur, quae habet παρεβιάζοντο, ut ſenſus ſit *magno conatu moliebantur navim reducere aridam verſus*. Etſi enim ſcirent tempeſtatem exortam projectione prophetae ſedari poſſe, priuſquam tamen ipſum praecipitem darent alia, experiri maluerunt. Cum omnia in caſſum tentaviſſent, tandem quod in his malis unicum, & extremum erat remedium, adhibent, ipſumque prophetam in mare praecipitant. Praeclare hunc locum Joſephus illuſtrat: Οἱ δὲ τὸ μὲν πρῶτον οὐκ ἐτόλμων, κρίνοντες ἀσέβημα εἶναι ξένον ἄνθρωπον, καὶ πεπιστευκότα αὐτοῖς τὸ ζῆν, εἰς φανερὰν οὕτως ἀπώλειαν ἐκρῖψαι.

CA-

CAPUT II.

V. 1. וימן יהוה דג גדול לבלע את יונה ויהי יונה
במעי הדג שלשה ימים ושלשה לילות

Et praeparavit Dominus piſcem grandem, ad deglutiendum Jonam: & erat Jonas in viſceribus piſcis tribus diebus, & tribus noctibus.

HEbraei hic putant piſcem hunc grandem jam inde ab initio Mundi a Deo fuiſſe creatum, ut Jonam exciperet, ob id verbum Scripturæ: *praeparavit &c.*; ſed hoc non neceſſe; nam eorum verborum hæc eſt ſententia: Deum piſcem illum juxta navem venire feciſſe, ut præcipitem Jonam in ſuos reciperet ſinus. Verum hoc loco varias excitatas nunc & olim adverſus ea, quæ hic narrantur, novimus incredulorum hominum querimonias. Paganos enim refert S. Aug. Epiſt. 102., *Jonae moram in ventre piſcis multo cachinno excepiſſe*: quos hujus ætatis fidei hoſtes imitantur libentiſſime.

Sed contra hujus generis adverſarios duo ſunt hoc loco recolenda, quæ clariſſimis & firmiſſimis innixa ſunt fundamentis. Primum eſt Supremi Numinis exiſtentia, quod ceu infinita præditum poteſtate, præter ordinem rebus inditum, ſupraque conſuetas naturæ leges, ſua omnipotenti vi, operari poſſit; Abſurdum enim admodum eſſet eum, qui naturam condiderit, eamque ſervet, atque e nihilo omnia produxerit, ipſis quas poſuit naturæ legibus ita coerceri, ut illas aliquando tranſgredi & tranſilire non poſſit. Alterum eſt Religionis Chriſtianæ libros, univerſaque iiſdem comprehenſa Deum certiſſimum auctorem agnoſcere: nam hujuſmodi id in ſuo genere fortiſſimis argumentis ſuadetur, ut nullum aliud in humana hiſtoria factum, aut dictum communiter receptum, ac creditum poſſit reperiri, quod pari certitudinis & veritatis charactere inſtructum, & ornatum eſſe poſſit; quod alibi a noſtris oſtenditur, & nos in præfatione tetigimus. Itaque cum Chriſtiani, divinæ revelationis factum, certiſſimis, & perſpicuis characteribus demonſtrent; illud neceſſario conſe-

Digitized by Google

ſequitur, ut hujuſmodi adverſariorum genus, aut Deum negent Omnipotenti vi præditum, quod eſt craſſiſſimæ impietatis genus, aut eundem non eſſe Chriſtianæ Religionis, librorumque in ea ſuſceptorum auctorem; Quorum utrunque magnis licet conatibus aggreſſi, probare nullo modo poterunt: potuiſſe enim, Infinitæ Poteſtatis notio demonſtrat: feciſſe, res ipſæ clamant.

Igitur in primis rejicienda eſt impii Spinoſæ audax imperitaque aſſertio, Deum inquientis miracula patrare non poſſe. Quid enim clarius, aut rationi magis conſentaneum, aut Supremi, & infiniti Numinis naturæ magis proprium, quam ipſum ſupra communem, & conſuetum naturæ curſum, miracula patrando, operari poſſe? nam quod ſubdit Deum immutabilem eſſe, ac proinde non poſſe naturae leges immutare, id levius eſt, quam ut ulla confutatione egeat. Nec enim Deus eſt ita immutabilis, ut liber, & omnipotens eſſe deſierit; aut non praeſcierit ea, quae in tempore per miracula facturus erat. Sed nec in facto Jonae aliquod ceu abſurdum, aut impoſſibile reprehendi poteſt. Hoc enim in eo prodigio quaeritur, an valuerit homo divina ope fultus, intimo piſcis calori, & vi humorum concoquentium alimenta, reſtitiſſe, reſpirandi interim facultate ſive non prohibita, ſive prohibita quidem, ſed abſque viri detrimento. Valuiſſe Deum ea qua pollet virtute, acidorum humorum vim ita retundere, ac hebetare, nulla controverſia eſſe poteſt. Nihil enim hic ſupra vires naturae auctoris, a quo omnis corporum actio pendet, cujus juſſu ſuſpenſa omnia manent, mutantur, ſive in totum, ſive in partem, pro ejus arbitrio, qui omnia movet, & impreſſos olim motus pro libito dirigit. Ad reſpirationem quod attinet, fatemur eſſe quidem ſupra leges conſuetas naturae, ut libera illius facultas homini in ventre ceti clauſo permittatur; quod tamen naturae vires ſuperat, Deo facile fuiſſe non dubitamus. Potuit enim Summus ille rerum arbiter, ita ſanguinem Jonae quietum retinere, ut nulla frequenti reſpiratione opus haberet, ut quotidianis experimentis in animalibus quibuſdam ſubtus aquam diuturno tempore latitantibus apparet. Ex his aliiſque

quae

Digitized by Google

quae viri Docti & eruditi afferunt, liquet, nihil hic quod vires naturae auctoris ſuperet, aut contradictionem involvat, reperiri.

Hæc quidem adverſus recentiores Fidei hoſtes dicta ſunto. At Paganos quidem ſuæ ætatis acute confundebat *S. Auguſt.* ea ratione, quod ipſi Pagani ad mirabiliora multa de ſuis Diis narrent; & peculialiter de Hercule affirment, eum in Ceti ventrem irrupiſſe, ibique triduo manſiſſe (1). Etiamſi igitur aliæ rationes non eſſent, hac ſola Ethnici refellerentur. Unde *Auguſt.* ineptam, & falſam infidelium criſim exponit, qua quidquid de eorum Diis prodigioſum narratur, libentibus animis, cæciſque oculis ſuſcipiunt: ſi quod autem mirum in ſacris Scripturis traditum Chriſtiani prædicent, ſtatim armantur, & accuratiſſimi, & emunctæ naris maxime videri volunt. Quod quidem argumenti genus maxime contra Paganos facit: At nullo modo contra cultores Catholicæ religionis, ut perperam contendit *Baylus*, vim ullam habet. Catholici enim jure miracula quæ de Sanctis narrantur ſuſcipiunt; propterea quod veram religionem ſe tenere ex indubiis principiis, & veræ Religionis characteribus demonſtrant; quare quemadmodum de ſua fide, & religione certi ſunt; ita certo ſcientes hæreticos nimium a vera religione, & fide aberrare, ſi quæ miracula ipſi de ſuis narrent, omnia in dubium revocant, atque ad varia critices capita recurrentes, eorum miraculorum falſitatem, vanitatemque demonſtrant. Gentiles autem adverſus Chriſtianos immerito ſe gerebant, quippe qui criticam nullam in ſuis miraculis ſuſcipiendis habebant. At Chriſtiani, quæ de ſuis Sanctis narrantur miracula, ad criticam ſeveriſſimam exigunt, ut videre eſt apud *Lambert. de can. Sanct.* & alios: Quid quod purum putumq; commentum Bayli eſt, hæreticos proferre miracula? nam & Calvinus in præfatione ſuarum inſtitutionum ad Franciſcum I. Galliæ Regem aperte fatetur non modo carere miraculis; ſed etiam illa, ut non neceſſaria reſpuere;

C quod

(1) *Vid. Lycophron initio Caſſandrae, & Tzetzes ad eum locum.*

quod paſſim ab aliis ejusdem gregis aſſeritur.

Videndum modo quiſnam, cujuſve generis fuerit piſcis ille immanis, qui Jonam deglutivit. Et quidem hebraicus textus דג גדול, ideſt piſcem magnum, habet. Hinc Sacri Doctores, & Interpretes, praeſertim recentiores, in eo grandi piſce ſtatuendo, licitum ſibi in varias abiiſſe opiniones eſſe credidere. *Samuel Bochartus*, *Scaliger*, *Aldrovandus*, aliique putarunt eſſe *Carchariam*, ſeu piſcem Canem vulgo dictum. Nos cum aliis bene multis, *Cetum* proprie dictum, ſeu Balænam eſſe arbitramur. Id quod nos maxime movet ad hanc de Balæna eligendam opinionem eſt auctoritas cum LXX hoc loco, tum auctoritas Chriſti Domini *Matth.* 12.; utroque enim loco Cetus habetur. Et quamvis ea vox communiter pro quibuſcumque Cetaceis piſcibus ſumi poſſit; conformius tamen Sacræ Scripturæ verbis eſſe dicimus illis in locis cetum pro Balæna ſumi: Nam, & illud commune nomen, ceu ſibi proprium Balæna vindicaſſe videtur; & certe *Danielis* 3. 29. proprie pro Balæna uſurpatur. Quid quod *Homerus* Odyſſ. μ. cetum diſerte a Cane diſtinguit? ait enim Δελφῖνας τε ϗ ἔποτε μεῖζον ἕλῃσι

Κῆτος ἃ μυρία βόσκει ἀγάστονος Ἀμφιτρίτη.

Delphinosque canesque, & ſicubi majorem capere poſſet
Cetum, quæ infinita alit gemebunda Amphitrite.

Hinc quamvis ſex cetorum ſpecies connumerentur ab Ichthyologis, nempe *Balæna*, *Priſtis*, vel Orca, *Phyſeter*, *Delphinus*, *Phocena*, & *Phoca*, ut eſt apud *Franz.* Hiſt. Ani. tract. 3., tutius tamen eſſe putamus pro Balæna ſtare, utpote quæ alios Cetos magnitudine ſuperat: nam & hujus aliquando in littus ejectæ, exeſis carnibus, oſſa quaſi *quadam naves optime lignis compactae* viſa ſunt; quin etiam *ampliſſimae domus vicem teneat feneſtris ſuperne confectis*, *hinc*, *atq. hinc cubiculis diſpoſitis*, ut ait *Scheuz. phyſ. ſacr. tom.* 4. Quod non modo *Olaus M. de piſcibus monſtroſ.*, verum etiam *Strabo* l. 15., & *Plinius* l. 9. narrant. Quod optime congruit τῷ דג גדול S. Scripturae. Id vero quod de anguſto Balaenarum rictu praedicant, tanti non eſt ut nos a ſuſcepta ſemel perſuaſione dimoveat; nam nec Balae-

nae

nae tam arctum eſt guttur, ut per illud integrum hominis corpus tranſmitti nequeat; quin & pro tanta Belluae mole, praecipue grandioris, aequum eſt ampliorem ejuſdem gulae hiatum exiſtimare. Et certe non modo *S. Aug.* de Balæna quadam, cujus ſceleton Carthagine ſua aetate viſebatur, magna captus admiratione id aſſeruit, verum etiam *Joannes Cabrius* Academicus Florentinus de Balæna alia anno 1624. ad Italiae litus ejecta perhibet, adeo vaſto gutturis hiatu inſtructam vidiſſe, ut etiam equo aſſidentem virum tranſmittere facile potuiſſet. Hæc porro, & aliorum accuratiſſimorum virorum teſtimonia pluris facimus, quam illorum, qui dicunt aegre humanum brachium per Balaenae guttur poſſe tranſire, praeſertim cum hi in defunctae beſtiae corpore id obſervarint: conſtet autem mortui animalis eſophagum anguſtiorem eſſe, quam viventis. Sed fac ita eſſe, ut illi contendunt, arctiſſimum natura eſſe gutturis meatum; nonne divinitus ampliorem fieri, magiſque diſtendi poſſe facile concedent? At nos prodigio adſcribimus, non ſolum innoxiam ſacri vatis in ventre ceti triduanam moram, ſed etiam quod eo vivus illæſusque pervenit: alioqum ſi in priori tantum caſu miraculum agnoſcunt, non item in altero, vi naturae factum eſſet, & quod e navi projectus in imum proprio pondere non deſcenderit, & quod ibi cetus ad eum excipiendum præſto fuerit. Adde eosdem Auctores, ut anguſti meatus incommodum vitent, in alterum, quod neſcio an majus ſit, dum carchariam amplectutur, prolabi. Nam ut refert Scheuzerus Phyſ. Sac. Tom. IV., *ſextuplex eſt ordo dentium ſerratim poſitorum, ac inſtar clavatæ machinæ circumcirca acuminatorum*, quos Suidas vocat ςρογγύλυς. ϗ ἐναλλαδοςόντας: quare liberum homini tranſitum ſine læſione & dilanatione ejus non permitteret. Stet illud ergo, Balænam fuiſſe piſcem illum immanem, qui Jonam exceperit; præſertim ſi ea verſio, quam pluribus placuiſſe video verſiculi 6. hujus capitis admittatur; *Alga alligata eſt capiti meo*: *Lamia* enim, ſeu Carcharias carne lubentius quam alga veſcitur; at contra Balæna. Miror autem Haſæum, Peſtaloſſium, & Heumannum in eam iviſſe ſententiam, ut putarent,

 Jo-

Jonam triduo non in ventre, ſed in ore tantum Ceti hæſiſſe; cum perſpicue Scriptura ventrem exprimat.

CAPUT III.

ונינוה היתה עיר גדולה לאלהים מהלך שלשת ימים v. 3.

Et Ninive erat Civitas magna Deo, itinere trium dierum.

NOn abs re dicitur Ninive propter ſui amplitudinem Civitas *magna Dei*. Res enim apud hebræos aliqua magnitudine in ſuo genere excellentes, *res Dei* dicuntur. Idque obtinet etiam apud Græcos, & Latinos: ſic *Hom. Odys.* 3. Urbem totius Peloponneſi clariſſimam Λακεδαίμονα δῖαν appellat: frequenter etiam *mare divinum*, & Charybdim divinam affirmat propter vaſtitatem & magnitudinem. *Euſtathius* quoque teſtatur ad Iliad. 1. ob eam rationem ab eodem Poeta dici δῖον Ἀχιλλεά. Er reipſa Ninive Urbs ampliſſima erat, ſubditur enim: itinere trium dierum fuiſſe. Magna profecto urbs ſi in ambitu tantum ſpatii continebat; major ſi in longitudine; quidam tamen cenſent hoc intelligendum eſſe de vicis, ac plateis urbis, quod eas omnes peragrare nemo potuerit, niſi trium dierum ſpatio: iter autem unius diei, ut *Ezechielus* hebræorum Poeta canit, continet X. Paraſangas: quælibet autem Paraſanga quatuor milliaria. Quare qui per vicos ejus iret, vel eam in circuitu perambulaſſet, cxx. milliaria conficiebat. Huic autem urbis magnitudini etiam profani ſcriptores teſtimonium, & calculum addunt. *Diodorus* enim l. 3. de hac urbe ſic loquitur: *muri ambitus complectitur ſtadia CCCCLXXX.... nulla urbs poſtmodum tanto ambitu, tantave moenium magnificentia conſtructa eſt. Altitudo murorum pedum eſt C; latitudo, quam tres currus ſimul perambularent: turres MD., quarum altitudo pedum eſt CC. Strabo* etiam de eadem urbe teſtatur: *multo majorem fuiſſe Babylone*. Babylon autem, eodem teſte, *in circuitu ſtadia CCCCLXXXV. complectebatur*. Stadium autem octava pars eſt milliarii. Ariſt. etiam 3. Polit. c. 2. refert Babylonem adeo magnam fuiſſe, *ut capta urbe ferant non ſen-*

Digitized by Google

ſenſiſſe tertio die civium partem. Si igitur Ninive multo major erat Babylone, apparet eam immenſa civium multitudine abundaſſe. Et revera ſi ex infantium numero, qui centum viginti millia capite ſeq. v. 11. recenſentur, ratio inietur, ſexcentorum & amplius millium hominum numerus habebitur: infantes enim quinta pars civitatum ab hujuſmodi rerum peritis eſſe ponunrur.

v. 4. עוד ארבעים יום ונינוה נהפכת

Adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur.

Omnes Græci codices LXX Interpretum hic habent *tres dies*. Hebræus autem; immo & Græci interpretes *Aquila*, *Symmachus*, & *Theodotion* habent quadraginta: quare *S. Hier.* ſatis mirari ſe ſcribit, cur *tres* a LXX translatum ſit, cum in hebræo inter 3. & 40., nec litterarum, nec ſyllabarum, nec accentuum, nec verbi ſit ulla communitas. Theodoretus autem exiſtimat LXX in prima verſione *τεσσαρακοντα quadraginta* poſuiſſe; ſed qui primo tranſcripſerunt, in hoc erraſſe, deinde in omnia exemplaria errorem illum promanaſſe. *Grotius* autem ſuſpicatur ex notis numerorum veteribus, & ſæpe inter ſe non multum diſtantibus, quæ nunc exoleverunt, hoc mendum irrepſiſſe; ejuſque rei ſibi viſus eſt alibi deprehendiſſe veſtigia

Urbi autem everſionem minatur nulla conditione adjecta, cum tamen minæ quæ a Deo proponuntur, conditionem ſemper præſeferant juxta regulam, quam nobis dat idem Deus *Hierem.* 18. 8., & certe ex ſenſu Ninivitarum, & eventu apparet hanc prophetiam conditionalem fuiſſe: quamvis autem implicita eſſet conditio, tamen niſi a Deo juſſus Propheta eam adjicere non debuit. Ita eſſe cenſemus: nam ſi appoſita eſſet conditio, quid cauſæ fuit prophetæ fugere, ne falſus vates haberetur? Par comminatio habetur Gen. 20. 3. *En morieris propter mulierem quam accepiſti: habet enim virum.* Sunt verba Dei ad Abimelechum Regem Gerare, quæ ſimiliter incluſam habent conditionem, *Morieris, niſi mulierem,*

quam

Digitized by Google

quam rapuiſti, viro ſuo reſtitueris. Unde Auguſt. in Gen. quæſt. 43. l. 1. *Etiam hoc notandum eſt, quomodo dicat Deus tanquam prædicens ſine dubio futurum, quod admonendo dicit, ut à peccato abſtinendo caveatur*. Idem habet *Athanaſius in tract. de paſſione, & Cruce Domini*.

v. 6. ויגע הדבר אל מלך נינוה ויקם מכשאו

Et pervenit verbum ad Regem Ninive, ſurrexitque de ſolio ſuo.

Quiſnam Rex imperabat eo tempore, quo Jonas Ninivem pervenit, ægre admodum ſtatui poterit: præſertim cum Sacra Scriptura poſtquam *Gen.* 10. primum conditorem *Ninives* memoravit, ea longiſſima temporum intercapedine, quæ a poſt diluvianis temporibus uſque ad extrema tempora Regum Iſrael interfluxit, altiſſimo quo ad Reges Aſsyrios ſilentio utatur, ob eam arbitror rationem, quia Aſsyriorum Reges luxu, & mollitie diffluentes cum ſcortorum gregibus domi ſeſe abditi continentes, nihil egregium, aut illuſtre moliri poterant; quorum Regum, ut hiſtoria profana teſtatur, poſtremus fuit *Sardanapalus*. Primum itaq; 4. *Reg. c.* 15. Phulis Aſsyriorum Regis injicitur mentio; deinde ibidem, & in aliis ſcripturæ libris Salmanaſaris, Sennacheribi, & Aſſaradonis. Auctores igitur plerique, aut *Sardanapalum* eum Regem fuiſſe pronunciant, aut *Phulem*. Ego autem vero ſimilius puto hunc alterum tunc regnaſſe; hujusque ſententiæ cum alios, tum Sigonium in *hiſt. Sulp.* aſſertorem habeo. Æquum enim eſt Ninives excidium exiſtimare longius aliquanto poſt Jonæ prædicationem accidiſſe: Deus enim cum ejus Cives reſipuiſſent, minas ſuas de urbe delenda revocarat, ſive potius diſtulerat. Sardapanali autem tempore, ut veriſſime *Petavius* arbitratur, Ninive ſolo æquata per *Arbacem*, & funditus exciſa fuit. Non ergo *Sardanapali*, ſed *Phulis* potius (qui redivivi tunc Aſſyriorum Imperii habenas moderabatur) temporibus Jonas Niniven pervenit.

CA-

Digitized by Google

CAPUT IV.

v. 6. וימן יהוה אלהים קיקיון
ויעל מעל ליונה להיות
צל על ראשו:

Et praeparavit Dominus Deus Kikajon, & aſcendit ſuper Jonam, ut eſſet umbra ſuper caput ejus.

Cujus ſit poteſtatis hebr. קיקיון S. Hieron. in comm. ſatis diſtincte exponit his verbis: *Pro cucurbita ſive hedera in hebraeo legimus* קיקיון *quae etiam lingua Syra, & Punica Elkeroa dicitur. Eſt autem genus virgulti, vel arbuſculae, lata habens folia in modum Pampini, & umbram denſiſſimam, ſuo trunco ſe ſuſtinens, quae in Paleſtina creberrime naſcitur, & maxime in arenoſis locis, mirumque in modum ſi ſementem in terram jeceris, cito confota conſurgit in arborem, & intra paucos dies quam herbam videras, arbuſculam ſuſpicis. Unde & nos eodem tempore quo interpretabamur Prophetas, voluimus idipſum hebraeae linguae nomen exprimere, quia ſermo latinus hanc ſpeciem arboris non habebat, ſed timuimus Grammaticos ne invenirent licentiam commentandi, & vel beſtias Indiae, vel Boeotiae, aut iſtiuſmodi quaedam portenta confingerent, ſecutique ſumus veteres translatores, qui & ipſi hederam interpretati ſunt, quae Graece appellatur κισσὸς. Aliud enim quod dicerent, non habebant.* Ex quibus verbis apparet, S. Doctorem non idcirco *hederam* tranſtuliſſe, quod eam omnino ſimilem putaret virgulto per hebraeam vocem deſignato, ſed ut malogum quoddam & quadantenus ſimile fruticis genus latinis auribus afferret. Quocirca cum Eccleſia Catholica *hederae* vocem ex S. Hieron. mente hauſerit, & eodem ſenſu, quo S. ille Doctor, in vulgata verſione retinuerit; non eſt cur Proteſtantes nodum in ſcirpo quaerentes, calumniandi Eccleſiam Romanam anſam arripiant; S. Hieronymum cum Sacroſancta Tridentina Synodo committentes.

Verum quia S. Hieron. ait, hebraeam illam voce Punice,

ce,

ce, & Syriace *Elkeora* dici affirmat, aditum aperuit, lucemque praebuit laborioſis, & eruditis viris inveſtigandi, atque inveniendi quaenam proprie ſit illa virgulti ſpecies apud Orientales, & maxime Arabas, quorum nobis plura monumenta ſuperſunt: ſummo enim conſenſu Medicorum Arabum interpretes tradiderunt *Elkeroa* idem eſſe ac *Ricinus* Romanorum; quorum verba penes *Bochartum* (1) alioſque videre eſt. Quae conjectura veroſimilior redditur ſi in hebr. קיקיון יון cum CL. *Grotio* addititium eſſe ponamus. Et revera addititium eſſe confirmat R. *Lakis* in Talmude, ubi interdicitur hebaeis ungi בשמן קיק, i. oleo kik, pro קיקיון. Cui rei etiam fidem facit ipſius hebrææ linguæ proprietas, in qua ad formationem nominum illa terminatio יון ad radicem ſæpenumero adjicitur. Hoc vero nomen קיק *Ricino* ſignificando inſervire vel ex eo veroſimillimum ſit, quod eadem vox a profanis quoque auctoribus ad *ricinum* notandum adhibetur. *Dioſcorides* l. 4. c. 188. eum κίκι vocavit. Item *Plinius* l. 15. c. 7. *proximum*, inquit, *oleum eſt quod fit e cici arbore in Ægypto copioſa; alii Crotonem, alii Trixin, alii Seſamum ſilveſtre appellant. Noſtri eam Ricinum vocant, a ſimilitudine ſeminis*. Eodem nomine, & hebræis vicini Ægyptii *Ricinum* vocaverunt, quod ex *Herodoto* in *Euterpe* clare colligitur. Denique ſi ea quæ circa קיקיון deſcriptionem S. Hieron. hic affert cum his conferantur, quæ *Dioſcorides* de κίκι, *Herodotus* de σιλλικύπριν perhibent idem omnino virgultum oſtendi, & deſignari liquebit: utrique n. frutici tum proceritas, tum foliorum magnitudo, naſcendique celeritas a præfatis auctoribus tribuitur. Hæc ſunt, quæ nos movent, ut ſi קיקיון arbuſtum maxime affine in noſtris terris quaeri debeat, *Ricinum* potiſſimum amplectamur.

v. 11. ואני לא אחוס נינוה העיר הגדולה אשר

Et ego non parcam ſuper Ninive Civitate magna in qua &c.

Nunc quidem Deus Ninivi pœnitenti miſericordia motus

(1) *In epiſt. ad Steph. Morinum.*

tus parcit: at cum poſtea inſigni hac clementia abuſa, ad priſtina ſcelera, & flagitia rediiſſet, funditus exciſa atque ſubverſa eſt. Id aperte conſtat ex Sacra profanaque hiſtoria. Ex Sacra quidem, nam *Tob.*14. Senior *Tobias* juniorem exhortatur, ut ſtatim poſt mortem matris ſuae ex Ninive abſcederet: *video enim* (inquit v.13.) *quia iniquitas ejus finem dabit ei.* Quod clarius ex editione Greca ejusdem libri colligitur, ubi inſuper Ninive delenda praedicitur juxta verbum Jonae: *ὅτι πάντως ἔσται ἃ ἐλάλησεν ὁ προφήτης Ἰωνᾶς.* Hoc ſi verum eſt, dilatum potius quam omnino ablatum Ninives excidium a Jona praenunciatum videtur. Sed plerique Patrum, & Doctorum in Nahum Prophetae vaticinium qui graphice, & fuſe Ninives vaſtitatem depinxit, ejusdem urbis interitum referunt. *Strabo* itidem l. 16., & *Joſephus* l. antiq. 10. aliique idem teſtantur.

S. Auguſtinus l. XVIII. de Civit. Dei cap. XXX.

Jonas Propheta, non tam ſermone Chriſtum, quam ſua quadam paſſione prophetavit, profecto apertius, quam ſi ejus mortem, & reſurrectionem voce clamaret. Ut quid enim exceptus eſt ventre belluino, & die tertio redditus, niſi ſignificaret Chriſtum de profundo inferni die tertio rediturum?

VA1
1544572

Digitized by Google

Digitized by Google